

est difficile: *Cum natura pugnare est difficile* (Philo 1. *De Abraham*).

Venatoribus quondam præda fuit puer triennis; qui cum in silvis inter lupos nutritus esset, ferinos et lupinos eorum mores ita induerat, ut prope in feram, pedibus et manibus reptans, degenerasset. Eum venatores angli Henrico Hassia principi dono dederunt; qui omni, qua potuit, arte et industria illum recte incedere, ac humanos mores induere curavit; sed frustra. Semper enim et ferinos servavit mores, et capite ad terram inclinato ac reptans inessit (Causin. Cur. Sainte, tom. 1): *quia jam morem fecerat usus* (Ovid. 1. 2. Metam.). Ecce genuinam inveterati peccatoris indolem, et prævæ consuetudinis vim. Peccator enim, præva ligatus consuetudine, cum feris, seu cum aliis peccatoribus convivere solet: hic etiam super terram reptat, quia non celestia bona, sed mundi hujus divitias et delicias querit. Cum autem peccatoris vitia in consuetudinem venerunt, difficillime et vix curari possunt: *Desinit esse remedium locus, ubi quæ fuerunt vitia, mores fiunt* (Senec. Ep. 28).

O quam magna est prævæ consuetudinis vis! Quam gravis ejus est tyrannis: *Magna est consuetudinis tyrannis, adeoque magna, ut perinde cogat ac natura* (Chrys. in c. 4, Ep. 2 ad Corinth.). Hæc tamen prævæ consuetudinis vis neminem deterrere debet; et quamvis præva consuetudine constrictus quis detineatur, non desperet, sed fortiter agat. Ut enim recte Tullius: *Multos vidimus et audivimus, cum totam adolescentiam voluptatibus dedissent, se ad frugem bonam recepisse, hominesque graves fuisse*. Nonne Matthæus, nonne Pelagia, nonne Magdalena, nonne Maria Aegyptiaca, nonne Augustinus et alii multi frugerunt vincula sua? ac prævæ consuetudinis morbo curati sunt? Cur ergo hoc non poterit quilibet alius peccator, quantumvis prævæ consuetudinis vinculis ligatus existat?

Verum quidem, quod sine Dei gratia hoc fieri nequeat; sed cum Dei gratia, quæ nulli deest, et hoc et omnia quæ ad salutem spectant, facere possumus: *Omnia possum in eo qui me*

confortat (Philip. 4, 13). Agite ergo generose; pravitatis vestrae vincula totis nisibus frangere contendite: et quod impossibile jam vobis videtur, successu temporis vobis facile fiet. Quia, ut ait S. Bernardus; *Usus tollit difficultatem, invenitque facile esse quod impossibile ante putavit*.

Dum adhuc juvenis esset S. Augustinus, jurare consueverat, prævamque hæc jurandi consuetudinem tollere ei difficillimum, et quasi impossibile videbatur. Potuit tamen: ac ita potuit, ut tandem nil illi facilius videretur, quam non jurare: *Abstulimus, inquit, jurationem de ore nostro. Ecce vobiscum vivimus, quis nos audivit aliquando jurantes? numquid non consueveram quotidie jurare? nil mihi jam facilius, quam non jurare*. Sed ad quid hoc de se ipso narrat Augustinus? *Hoc ideo, ait, admonui charitatem vestram, ne dicatis, quis potest? Nullus ergo dicat se prævam peccandi consuetudinem tollere non posse: Ne dicatis, quis potest? Quia quamvis inveterata sit præva consuetudo, illam tollere et eradicare penes nos est. Ne hoc dicatis, sed agite fortiter: Vigilate, orate, sanctissima Ecclesiæ Sacramenta frequenter sumite, prudentis alienus moderatoris consiliis humiliter obtemperate: et tandem aliquando de prævis vestris habitibus triumphabitis, æternamque illam coronam, quæ vincentibus datur, obtinebitis. Amen.*

CONCIO III.

DE PECCATIS RECIDIVÆ.

Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaia 27, 9).

Corpora celestia a sublunariis in hoc differant, quod celestia nulli obnoxia sint alterationi et corruptioni: quia ma-

teria ex qua componuntur, formam sibi ab origine mundi annexam, tenaciter servat, nec aliam aliquam appetit. Sublunaria vero continuis generationis et corruptionis vicissitudinibus subsunt: quia materia ex qua constituuntur, ad novas semper, appetitu sibi innato, anhelat formas; ac, prioribus relictis, novas alias facile recipit.

Sancti qui nunc in caelis regnant, caelestibus similes videntur corporibus: quia in iis nulla est mutatio et vicissitudinis obumbratio; sed continua in visione, amore, et Dei possessione perseverantia. Homines vero, quamdiu in hoc mundo morantur, eodem fere modo se habent in ordine gratiae, quo corpora sublunaria in ordine naturae: utpote quia saepissime mutantur, ac a statu gratiae ad statum peccati, et a statu peccati ad statum gratiae transeunt. Cum enim debite poenitentiam agunt, Dei gratiam recipiunt, quae est forma, qua justi fiunt: sed quasi eos poenituisse poeniteat, hanc saepe mox abiciunt formam, et a statu gratiae ad statum peccati infeliciter migrant.

Hodie mihi instituenda est concio adversus pessimum illud hominum genus, qui post peractam poenitentiam, et acceptam a Deo gratiam, in pristina sua scelera misere relabuntur. Cumque toto hoc Adventu peccati destructioni incumbere statuerim; hodie destructioni peccatorum recidivae totus ero. *Ave.*

Qui mortalibus peccatis suam inquinant animam, multi sunt, maligni sunt, infelices sunt. Hi quidem *multi*; cum hi sint stulti illi homines, quorum numerus est infinitus: *Stultorum infinitus est numerus* (Ecl. 1, 15). Hi etiam *maligni*; cum adversus Deum suum, Creatorem et benefactorem suum impudenter insurgant: *Tetendit adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est* (Job. 15, 25). Hi tamen *infelices* sunt: quia si a peccatis non respiciant, aeternis post mortem suppliciis addicentur: *Ibunt hi in supplicium aeternum* (Math. 25).

Quod de omnibus, qui in mortalia cadunt, dicitur, hoc et specialiter dicendum de his, qui post peractam poenitentiam, in mortalia recidunt: isti enim *multi*, *maligni* et *infelices* sunt. Isti quidem *multi*, quia in mortalia relabi est communissimum:

isti etiam *maligni*, quia post peractam poenitentiam relabi est gravissimum: isti tandem *infelices*, quia in pristina peccata relabi est periculosissimum. Quae ut clarius pateant, tria haec sigillatim elucidabimus, demonstrando quod in mortalia recidere est: 1. Quid commune et usitatum: 2. Quid grave et enorme: 3. Quid exitiosum et periculosum. In mortalia post peractam poenitentiam relabi est commune, est grave, est periculosum. En tres hujus concionis partes.

I. PARS.

In mortalia relabi est commune.

Postquam peccatorum suorum vincula dirupit, et ab exitiosis daemone laqueis ereptus est, regius Propheta exultans, magnoque circumfusis gaudio exclamavit: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, et nos liberati sumus* (Psal. 141, 7). Exultavit David, et postquam a criminum et daemone laqueis est ereptus, nusquam amplius iis captus est; nec amplius a statu gratiae ad statum peccati est mutatus: *Non movebor in aeternum* (Psal. 29, 7). Sed tanta est aliorum hominum infirmitas et inconstantia, ut fere omnes in eadem peccata post peractam poenitentiam relabuntur, ac iisdem criminum laqueis, a quibus per Dei misericordiam liberati fuerant, iterum capiuntur.

Ipsae aves, ac etiam cervi et alia animantia semel capta, si effugiant, difficillime iterum capiuntur; *Avicula semel capta laqueo, mox elapsa; cervus in rete decidens et effugiens, iisdem iterum difficile capiuntur*; nam cuique fit experientia cautelae magistra (Chrys. hom. 15 ad pop.). Sed plerique hominum ipsi bruti quasi stolidiores, postquam per poenitentiam, et per Dei misericordiam a superbiae, avaritiae, luxuriae, vindictae, aliorumque criminum laqueis se extricarunt, iisdem saepissime capiuntur, et in pristina peccata

recidunt: *Nos autem*, ut subdit Chrysostomus, *sæpius in iisdem capti, in eadem cadimus.*

Saulem, hostem sibi infensissimum, in tentorio dormientem invenit David: cumque illum facillime occidere posset, ab illius cæde abstinuit, abstulitque solummodo *hastam et scyphum aque, qui erat ad caput Saulis*, et abiit. A somno autem evigilans Saul, admiratus est Davidis clementiam; et poenitentia ductus, ab eo veniam petit, dicens: *Peccavi, revertere, fili mi, David; nequaquam enim ultra tibi male faciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim, quod stulte egerim.* Ecce Saulem vere poenitentem. Sed, ut advertit sanctus Basilius, non multo elapso tempore, *hastam vibrat Saul ut Davidem interimat: Quasi ad mentem sobriam ideo se recepisset, ut iterum sæviret.* O magnam Saulis inconstantiam! sed o veram etiam hominis peccatoris effigiem! Deus enim omnes peccatores juste occidere, et in infernum præcipitare posset, mox ut mortale ali-quod crimen perpetrarunt: ipsis tamen solum auferre solet scyphum et hastam; *scyphum*, privando eos divitiis, deliciis, vel aliquibus rebus, quibus adhaerebant; *hastam*, debilitando corpora eorum gravibus morbis, et subripiendo alia, quibus ut nequitiae arnis utebantur. Peccatores autem advertentes hanc Dei in ipsos bonitatem et clementiam, poenitentia ducti clamant: *peccavi*; malitiam et stultitiam suam fatentur, ac se nusquam in Deum peccaturos protestantur; sed tanta eorum est inconstantia, ut paucis elapsis diebus, plerique hastas et malignas criminum suorum sagittas adversus Deum vibrent. Hodie convertuntur ad Dominum; se non amplius in illum peccaturos pollicentur; ac millies promittunt, se non in pristina peccata casuros: sed paucissimis abhinc diebus, votorum et promissionum suarum obliiti, arma adversus Deum sumunt, in illud peccant sicut antea; ac iisdem se criminum laqueis intricant, quibus antea obstricti fuerant. Ecce quomodo se gerere soleant peccatores: ecce quod in mundo commune et usitatum est.

Filii Israël, qui diu in Aegypto ex aliis et cepis misere vi-

ctitarant, non sapiebant nisi Aegyptium: tantaque eorum erat stoliditas, ut allia et cepe, quibus manducandis assueti erant, coelesti cibo præferrent. Unde degustato coelesti manna, dicebant: *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo* (Num. 21, 5). Hi filii Israël denotant peccatores vitiis assuetos: qui cum palatum sanum non habeant, spiritualia non gustant: eis enim poenitentiae gratia non sapit, nauseant super sacrosancto Eucharistiae manna; nec anhelant, nisi ad mundi et carnis voluptates. Unde plerique brevi post confessionem et Sacramenti Eucharistiae sumptionem ad cepas et allia sua migrant: seu in eadem peccata, a quibus feliciter emergerant, intra brevissimum tempus infelicititer recidunt. Et ideo ob magnam hanc inconstantiam et malitiam, peccatores Spiritus Sanctus porcis assimilat: *Contigit enim eis illud veri procerbii: canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in colutabro luti* (1 Pet. 2, 22).

Porcum lavet quis, quantum voluerit: ut primum ei occurrat quoddam volutabrum, in illud se immerget, et huc illuc in luto se volvet. Sic peccatores, adveniente Jubileo, vel Paschatis tempore, ad salubre poenitentiae lavacrum accurrunt, et a suis se immunditiis lavant: sed transacto die festo, ad iniquitatum suarum volutabrum plerique recurrunt. Qui sordidi fuerant, sordescunt adhuc: qui ebriosi, libidinosi, avari, et aliis vitiis antea erant dediti, ad ebrietatem, luxuriam, avaritiam, aliaque sua vitia postmodum declinant; ac quasi sues ad volutabra revertuntur; *Sus lota in volutabro luti.*

Haec quidem vera peccatorum idea; sed et comparari possunt exhalationibus, quæ sursum elevari non videntur, nisi ut iterum recidunt. Tria enim sunt vaporum et exhalationum genera: quarum aliae, cum crassæ sint, tantisper solum supra terræ superficiem elevantur; et mox recidunt: aliae aliquanto altius sublimantur; ubi postquam aliquantulum moratæ sunt, in aquam resolvuntur, et ad terram relabuntur; et aliae ad mediam aëris regionem erehuntur, ubi diu huc et illuc voluntur; sed tandem ex iis formantur grandines, pluvia vel nives, et in terram recidunt. Iis exhalationibus similes sunt

peccatores. *Aliqui* enim ex his pravis suis habitibus tenaciter adherent; et illi, cum a peccatis per poenitentiam surgunt, parumper elevantur, sed mox ad ea redeunt: hodie confitentur, et cras in similia peccata cadunt. *Alii*, cum per poenitentiam resurgunt, aliquanto alius evolvuntur; non multo tamen elapso tempore, in eiusdem generis peccata denuo labuntur. *Alii* per poenitentiam ita extolluntur, ut nusquam amplius casuri videantur: milles enim pollicentur, se non ultra peccatis adhesuros; sed tandem, successu temporis, propositi obliviscuntur, et qui loti erant, in peccatorum suorum cœno iterum volvuntur, ac in pristina sua peccata misere recidunt. Et sic in priora crimina relabi ita apud peccatores commune est, ut fere omnes in ea recidunt.

Vidistis aliquando passeret, hirundines, columbas, et alias aves, quæ, strepitu excitato, aut lapide projecto, a nidis suis avolant, ac ita fugiunt, ut nusquam amplius redituri videantur, intra brevissimum tamen tempus ad arborem quandam, vel ad tectum vicinum accedunt, et inde ad nidum suum mox revertuntur. Similem in modum peccatores in vitiis, quibus assueverunt, quasi in nido jacent. Cum autem de perpetratis peccatis poenitentiam agunt, sicut aves a peccatorum suorum nido avolant: *Sicut avis fugiens, et pulli de nido volantes* (Isa. 15, 2). Sic cito potator ad poculum, luxuriosus ad scortum, avarus ad fraudes, et omnes ad nidos suos, seu ad pristina peccata revolare solent. Hoc fere omnes peccatores faciunt; nil apud eos communitus.

Steterunt aquæ, summeque retinuerunt cursum, ut arca per Jordanis alveum portaretur. At ubi pertransivit arca, aquæ in locum suum reversæ, solitum tenuere cursum, et in mare, sicut antea, deluxerunt. Quamplurimi similiter, qui peccatum sicut aquam bibere soliti sunt, adventie aliquo Jubileo, vel solemni festo, ab assuetu vitiorum cursu aliquantisper cessant, ut arca Eucharistica per eos transeat; at mox ut Communionis tempus transit, solitum tenent cursum, et in pristina peccata relabuntur. Avari sunt ut antea, libidinosi ut antea, ebriosi, invidi, detractores, blasphemi, aliisque horrendis vitiis dediti ut antea.

Sicut qui ex gravi infirmitate convalescunt, sibi statim ita validi et robusti videntur, ut quidvis manducare, et quidvis agere liceat; et ideo datas a medico vivendi regulas violant, et in febrim recidunt: ita et qui recenter ad Deum sunt conversi, sibi facili suadent, se nusquam amplius in peccatum casuros, et ideo datas a Confessario recte vivendi leges servare negligunt, pristinis se peccandi occasionibus immiscunt, personas cum quibus peccaverant, temerarie frequentant: unde misere fit, ut in priora peccata denuo labantur. Quod non uni dumtaxat, aut alteri, sed omnibus fere peccatoribus accidit. Hoc illis est familiare et commune; et quicumque oculos habet, videt omnes fere peccatores post peractam poenitentiam in pristina peccata relabi. Quod quidem non omnes ad amare flendum excitare deberet.

Xerxis, Persarum regis, tantus fuit exercitus, ut ipsa flumina exsiccasse dicatur. Cumque potentissimus ille Princeps innumeros milites, et florentissimam Asiæ juventutem, ex qua ejus constituebatur exercitus, prope Hellespontum die quadam lustraret, *de sublimi loco infinitam hominum multitudinem, et innumerabilem vidisset exercitum, fesse dicitur, quod post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset* (D. Hieronym. Ep. ad Heliod.). Innumeros similiter Ecclesia militans in præcipuis anni festivitibus, sui exercitus milites videt, qui post confessionem et celestis Eucharistiæ cibi sumptionem, vegeti, validi, ac ad contra salutis suæ hostes generose pugnandum parati sunt. O præclarum spectaculum! sed ipsis quidem sanguineis lachrymis defendendum, si cogitemus, quod ex tot millibus, qui per poenitentiam a peccatis resurgunt, paucissimi sint, qui ab accepta gratia brevi non decidunt, et in pristina peccata non relabuntur. Surgunt multi, recidunt multi; gaudeamus, quia surgunt; ploremus, quia recidunt; gaudeamus propter multos, qui a peccatis surgunt; ploremus propter multos, qui in pristina peccata relabuntur. Sed si in eadem peccata relabi sit commune: *in eadem etiam peccata relabi est græce, et recidivæ peccata sunt gravissima.*

II PARS.

In mortalia relabi est grave.

Omne mortale peccatum grave est, cum sit gravis offensa Dei optimi, maximi, cujus sapientia ineffabilis, majestas infinita, bonitas incomprehensibilis: sed longe gravius est recidere, et ad peccata paulo ante abjurata revolvi. Sicut enim in morbis corporis recidiva quid ipso morbo deterius esse solet; quia per recidivam sæpe pereunt, qui e primo morbo incolumes evaserant; ita et in animæ morbis, seu in peccatis, *recidere, quam incidere deterius est* (S. Bern. Ser. 54 in Cantie.).

Si alicui crus frangatur, aut manus, inquit sanctus Eligius Noviomensis Episcopus, cum labore solet ad pristinum revocari officium: si vero secundo, aut tertio eodem loco membra frangantur, potest intelligere charitas vestra, cum quantis doloribus et cruciatibus vulnera ipsa curanda sunt: et tamen post longos et multos labores, vix fiet unquam ut ad pristinum statum membra ipsa valeant revocari. *Similis ratio in animarum fracturis existimanda est.* Sicut ergo quo pluries in eodem loco frangitur crus, eo gravior est fractura: ita et quo pluries post veniam quis recidit, eo graviora sunt ejus peccata: quia recidere, quam incidere gravius est.

Sanctus Chrysostomus, qui homines hortari non desinit, ut a quocumque mortali abstineant, eos in sermone de lapsu primi hominis potissimum rogat, et monet, ut in ea non recidant peccata, quorum jam a Deo veniam impetrarunt; *Noli peccare post veniam.* Cujus rei rationem mox adducit Antiochenus Antistes, dicens non recidendum in pristina peccata; quia in peccata relabi, quam labi gravius est: *Cogita gravio-rem esse culpam post veniam.* Gravia quidem, inquit, in se sunt quævis mortalia: sed si post acceptam a Deo veniam in eadem iterum labaris, illa eadem peccata, ratione recidivæ, cæteris paribus erunt prioribus graviora. Quia licet gravissi-

mum quid videatur, quod homo Christianus, qui Dei bonitatem, Paradisi gaudia, inferni supplicia et alia Christianæ Religionis mysteria novit, in mortale aliquid peccatum cadat; longe tamen gravius est, si hic homo post impetratam a Deo veniam in pristina labatur peccata: *Grave est hominem in-structum delinquere: gravius est absolutum peccare.*

Cum Christus Dominus probatæ piscinæ languidum, quem sanaverat, in templo, pro accepto beneficio gratias referentem invenit, dixit ei: a paralyti, qua laborabas, sanatus es: ingens hoc tibi beneficium præstiti: cave nunc ne iterum in peccata labaris: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare* (Joan. 5, 14). Quod Christus huic paralytico palam dixit, hoc et cuilibet homini qui a mortali peccato surrexit, clam et in corde quotidie dicit; quemlibet enim sic intus affatur: O peccator, in te benignus et misericors ita fui, ut mei virtute sanguinis ab omnibus animæ morbis te sanaverim: sed summa jam sollicitudine cave, ne in pristinos hujusmodi morbos, et in priora peccata recidas: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare.* O peccator, sanavi te ab infirmitatibus linguæ tuæ, quæ tot convicia, tot detractiones, totque blasphemias proferre solita erat: cave, ne in similes morbos recidas: *Jam noli peccare.* Sanavit te ab ægretudinibus, quibus tuum laborabat cor; quod pravus quibus adhæserat cogitationibus, ac iniquis affectibus quibus exarserat, corruptum penitus, putridum et sauciatum erat: cave, ne putrescat adhuc, et ne in eadem infirmitates incidas: *Jam noli peccare.* Sanavi te ab infirmitatibus oculorum tuorum, qui tot objecta impudice aspexerant; sanavi ab infirmitatibus manuum, quæ aliena rapere consueverant, cave, ne in ejusmodi morbos, seu in eadem peccata labaris: *Jam noli peccare.* Cur paralytico, omnibusque peccatoribus prohibet Christus, ne in propria peccata recidant? *Ne deterius tibi aliquid contingat.* Hoc illis prohibet, quia in peccata recidere, quam cadere, longe est gravius et deterius: *est sine dubio recidenti quam jacenti deterius* (S. Bernard., serm. 3 in Cant.).

Tanta mortalitas peccati est malitia, ut quasi continuum in hoc mundo sit miraculum, quod peccatores, mox ut mortale

quoddam peccatum perpetrarunt, Deus non destruat et annihilat: *Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti* (Thren. 3, 32). Hanc Dei in se bonitatem admirabatur regius Vates, ac fatebatur, quod si per Dei misericordiam a suis liberatus non esset peccatis, ad inferni supplicia damnatus fuisset: *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea* (Psalm. 93, 17). Hanc et in seipso Dei clementiam expertus est sanctus Augustinus, quam admirans, ait: *Gratiae tuae deputo et misericordiae tuae, quod peccata mea tantquam glaciem solvisti*. Eadem sane Dei est bonitas et clementia in omnes, qui a mortalibus culpis absolvuntur et liberantur: eos enim Deus per gratiam suam ab horrenda et immani, in qua immersi erant, abyso eripit, illos ab alto praecipitio et portentosa voragine a qua per seipsos egredi non valebant, misericorditer eruit, illos a tetris peccati vinculis, a dira daemonis tyrannide et ab inferni faucibus educit. Unde omnes qui a mortalibus peccatis lavantur, dicere debent in corde suo *Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti*. Miramini ingens et ineffabile illud Dei in peccatores beneficium, sed et identidem fatemini, quod quanto majus est hoc beneficium, quod a Deo peccatores recipiunt, tanto major etiam illorum est ingratitude, tantoque gravior illorum est peccatum, si accepti beneficii immemores, in benefactorem iterum insurgant, et in priora peccata recidunt. Quia, ut fatentur omnes, eo ceteris paribus offensa est gravior, quo majora a persona in quam peccamus, beneficia accepimus.

Sed, ut evidentius pateat, quam graviter peccet, qui in mortalia post acceptam a Deo veniam recidit, mente revolvamus, quanta sint beneficia, quae a Deo recipit qui a peccato per Dei misericordiam resurgit. Antequam enim quis a mortalibus peccatis resurgat, Dei inimicus est, hac omni prorsus gratia indignus: Deus tamen, cujus infinita bonitas peccatorem hunc sibi infensum, ac omnis gratiae indignum illuminat, monet: gratiae suae auxillis praevēnit, adjuvat, et ad poenitentiam adducit. Postquam autem, adjuvante Deo, peccatorum suorum vincula rupit, eum Deus gratia sanctificante dicit, in dilectum

filium recipit, aliisque multis donis afficit. O quam magna sunt haec Dei beneficia in peccatorem qui convertitur. Verum o quam gravia etiam sunt peccatoris crimina, si acceptis tot beneficiis, adversus Deum benefactorem suum denuo peccet, et in priora peccata labatur? Non est qui non fateatur, posteriora ista peccata, ceteris paribus, esse prioribus graviora, ratione ingratitude. Quia, qui in peccata recidit, a quibus per Dei gratiam emererat, ingentium beneficiorum, quae a Deo in conversione sua acceperat, ingratus est. *Indulgentia ingratus est, qui post veniam peccat*.

Quod ut familiari similitudine evidentissimum fiat, dicat quis: Si vilis quidam et ex infima populi faece homo alapam Episcopo infligeret, nonne gravissima haec esset injuria? nonne enorme esset illud crimen quidem, horrendum, exquisitissime supplicii dignum. Sed si Episcopus ex nimia benignitate percussori indulgeret, injuriam ei penitus remitteret, illum ex charitatis affectu amplecteretur, illumque donis multis afficeret, quibus acceptis, ingratus homo Pontificem denuo depalmaret: nonne secunda injuria esset priore gravior? nonne istud crimen esset priore enormius? Gravior quidem, et longe enormius esset ratione ingratitude, quia ultimo isti crimini annexa esset infanda quaedam ingratitude, quae in priori crimine non erat. Hoc evidentissimum est, sed et identidem est evidentissimum, quod cum quis post poenitentiam, et post acceptam a Deo veniam, iterum in Deum peccat, posteriora illa peccata sint prioribus longe graviora, ratione ingratitude in Deum, a quo indulgentiam, veniam, et multa beneficia in conversione acceperat.

Hanc peccatoris post peractam poenitentiam relabentis ingratitude et malitiam mirum in modum exaggerat Tertullianus, dicens, quod cum in mortalia recidit, *diabolum Deo preponit*. Quando enim per poenitentiam ad Deum convertitur peccator, ad illum Deus per gratiam sanctificantem venit: et in eo per gratiam suam manere ambit, *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus*. Ipse autem Deum, quem in se habet, cum demone confert, inquit Tertullianus, et com-

paratione inter utrumque facta, daemone Deo meliorem iudicat; et daemone quam Deo esse praelegit: *Comparisonem videtur egisse, et iudicatio pronuntiasset, eum esse meliorem cuius esse maluerit* (Tert., *De poenit.*). Nonne maxima haec peccatoris post poenitentiam relabentis ingratitude? Ingratissimus utique est eo quod post tot accepta a Deo beneficia, diabolus Deo praeponat, et daemone, quam Dei obsequio mancipari malit. Sed, ut ait Tertullianus, major adhuc est peccatoris post poenitentiam relabentis in Deum ingratitude, quia non solum diabolus Deo praeponat, verum et diabolo satisfacit, quasi ei iniuriam fecisset, cum, eo relicto, ad Deum conversus erat: *Qui prius Deo per delictorum poenitentiam satisfecerat, diabolo per aliam poenitentiam poenitentiam satisfacit*. O portentosam peccatoris recidentis ingratitude! Quam adhuc graviorem esse ait S. Bernardus, quia peccator non solum diabolus Deo praefert, et diabolo satisfacit, sed etiam Deum ab anima sua expellit, ut diabolus intronit; *Sic honoratis, miseri, Christum quem suscepistis, venturo paratis hospitium?* O infandas et execrandas peccatoris relabentis ingratitude! Sed o quam gravia etiam sunt peccata, in quae recidit. Ea, ratione annexae ingratitude, ita gravia et enormia esse censent nonnulli Theologi, ut doceant, malitiam unius peccati mortalis, in quod quis post veniam relabitur, ob peccantis ingratitude, tantam esse, ut valeat exaequare hoc unum omnia peccata antea remissa; et peccatorem recidentem perinde puniri, ac si peccata praeterita remissa non fuissent (Medina, *De poenit.*, tr. I, qu. 9). Quare cum ita gravia et enormia sint recidivae peccata, ab iis summa sollicitudine cavete. Sed et ab iis cavendum quia post acceptam a Deo veniam, in mortalia recidere, *est periculosum*.

III PARS.

In mortalia relabi est periculosum.

Misericordiae suae viscera Deus omnibus aperit; nec est peccator ita obstinatus, induratus, gravibusque addictus peccatis, quem ad poenitentiam non vocet, et cui non indulgeat, si sincere converti velit. Non aliquos dumtaxat peccatores, sed omnes, nullo excepto, ad se per gratiam suam Deus allicit, et licet septies, decies, millies, ac etiam decies millies reciderint, iis adhuc libenter ignoscit, modo sincere respiscere et peccatis valedicere satagat: *Quia enim Petro annuntiavit septuagies septies fratri ignoscendum, multo magis vel septies millies homini ignoscet respiscenti* (S. Ant. ad Antioch., quaest. 93).

At licet impios quosque Deus diligat, vocet, expectet, et benigne recipiat, si ad illum contriti accedant: ejus tamen bonitate abuti non debent, nec temeraria impudentia in pristina relabi peccata. Quia qui in mortalia facile et frequenter recidunt, in evidenti damnationis periculo versantur, eosque aeterna damnatio expectat: *Si a prima delictorum miseria erepti, rursus ad eandem malignitatem revertimur, gravior poenitentia nos procul dubio expectabit* (Chrysostom.).

Grave hoc damnationis periculum, in quo versantur, qui post peccata poenitentiam, et acceptam a Deo veniam, in pristina peccata frequenter relabuntur, indicat D. Paulus dicens, impossibile seu difficillimum esse eos ad veram poenitentiam rursus adduci: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, ... et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam* (Heb. 6, 4-6). Si enim quasi impossibile est eos renovari ad poenitentiam, quasi impossibile est etiam, quod salventur, quia peccator non salvatur, nisi poenitentiam egerit; ac proinde in maximo damnationis periculo versantur.

Quod et idem Paulus confirmat, dicens, nullum esse sacrificium, quo peccatores, qui frequenter surgunt et recidunt, Deum placare et ab eo veniam peccatorum obtinere valeant. *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquunt pro peccatis hostia* (Ib. 10, 26). Sicut enim in veteri lege nullum Deus pro superbis et contumacibus instituerat sacrificium, ut ostenderet, huiusmodi peccatores difficillime converti: ita ait D. Paulus, pro illis, qui post acceptam a Deo gratiam, in mortalia frequenter relabuntur, nullam hostiam, nullumque sacrificium relinqui, ut ostendat, difficillimum esse, quod hi vere convertantur. Et ideo eum difficillime ad Deum converti possint, in evidenti damnationis sunt periculo, et vix salvari possunt.

De hoc non dubitabit, qui advertet, quomodo se gerere soleat demon erga illos, qui a peccatis per penitentiam surrexerunt, si in ea iterum labantur: Dæmon enim *tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi* (Matth. 12, 45); ut, scilicet, eum securus detineat ac impediant, ne iterum evadat, et ad Deum convertatur.

Cum quis vi vel fraude et carcere elapsus iterum capitur, eum custos majori cum vigilantia et cura detinet; si antea eum unica vinciebat catena, nunc duplici eum vinciet; si antea nocturno et quietis tempore non illum visitabat, nunc diu noctuque illum iterum atque iterum invisit, si antea unico ostio, et unica sera eum clausum definebat, nunc seras et ostia multiplicabit, eodem prorsus modo cum peccator e demonis vinculis per penitentiam liber evasit, si in peccatum recidat, ac demonis captivus iterum fiat, ab illo summa cum vigilantia custoditur, ne amplius evadat; si antea diabolus unam aut alteram suggererat tentationem, modo decem et viginti suggeret, omnesque claudet aditus, quibus iterum aufugere, ac ad Deum reverti posset. Et ut eum securius detineat satanas, *assumit septem spiritus secum nequiores se*, qui omni qua possunt cura et sollicitudine impediunt, ne liber evadat, et ad Deum rursus convertatur. Quare tunc huic peccatori difficillimum est, ut a peccatis iterum surgat, et ad Deum vere con-

vertatur; ac proinde vix salvari potest, et in manifesto damnationis est periculo. Et ideo huiusmodi homines, qui ab accepta iustitia in mortalia frequenter decidunt, non Paradiso videntur idonei, sed ad infernum sunt parati: *Qui transgreditur a iustitia ad peccatum, Deus paravit eum ad rhinophream*, id est ad supplicium æternum, ut exponit Dionysius Carthusianus.

De his peccatoribus, qui in mortalia peccata crebro relabuntur, loquitur Propheta, dicens: *Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in sæcula* (Psal. 80, 16). Inimici, qui Domino mentiuntur, sunt ipsi peccatores, qui post peractam penitentiam, et acceptam a Deo gratiam in mortalia peccata recidunt. Cum enim penitentiam egerant, priores culpas coram Deo retractarant, abjurarant, detestati erant, ac pluries promiserant, se non amplius peccaturos. Sed hi Dei inimici *mentiti sunt ei*, cum in pristina peccata, contra datam Deo fidem, relapsi sunt. Quare non temporali tantum, verum æterna poena digni sunt, et æternis plectentur suppliciis: *et erit tempus eorum in sæcula*.

Videte, quid acciderit uxori Lot. Quamdiu hæc in urbe Sodoma inter infandis vitis deditos permansit, eam Deus innocuam et incolumem servavit; sed postquam de execranda hæc civitate egressa est, in salem conversa fuit. Cur plectit Deus et in salem convertit hanc mulierem, quæ jam de Sodoma est egressa? Ideo illam plectit, quia postquam de Sodoma migravit, Sodomam asperxit. Quo exemplo docet graviter plectendos illos, qui postquam Sodomæ et abominandis suis criminibus abrenuntiarunt, ad ea iterum aspiciunt et revertuntur.

Illos quidem Deus in inferno gravissime plectet: ut enim ait Propheta: *Deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis* (Psal. 67, 22). Hic qui in delictis perambulant, sunt peccatores illi, qui sunt quasi in continuo motu a statu peccati ad statum gratiæ, et a statu gratiæ ad statum peccati; ac qui a peccatis ita discedunt, ut ad ea brevi revertantur. Isti autem peccatores, in peccatis perambulantes, in tanto sunt damnationis periculo, ut

quasi certum sit, quod Deus eos ad inferni supplicia damnabit: quodque ibi non solum capita eorum, verum et omnia eorum membra, ipsas quoque capillorum summitates conteret et confringet.

De quodam peccatore in peccatis perambulante fertur, quod cum post plures recidivas et veniam a Deo pluries acceptam ad Confessarium accessisset, ut ab eo peccatorum, in quæ reciderat, absolutionem peteret; abnuvit primo Confessarius; sed tandem opportunis importunisque precibus, ac promissis multis de non recidendo factis, eum ad dandam absolutionem inclinavit (Cant. l. 2, apum c. 3). Qua obtenta, lætus in domum suam se recepit: tantaque ejus fuit inconstantia, ut die immediate sequenti in priora scelera reciderit, credens hand dubie, quod Deus iterum illum expectaret ad penitentiam. Sed illico ultricem Dei manum expertus est; ac pluries hæc verba ingeminans: *Vindicta Dei super me; vindicta Dei super me*, infelicem efflavit animam, quam æternum cruciandam ad infernum horrendi dæmones traxerunt.

Quod huic accidit, iis omnibus, qui in mortalia post penitentiam pluries relabuntur, accidere solet. Licet enim eos non audiamus clamantes: *Vindicta Dei super me*: in tanto tamen damnationis versantur periculo, ut quasi certum sit, quod hi misera peribunt, quoque æternam Deus in inferno de peccatis eorum vindictam sumet. Quare a gravibus quibusque peccatis ita surgite, ut amplius in ea non recidatis et æternæ damnationis periculo non vos exponatis: *Evasimus semel, non amplius periculo nosmetipsos inferamus, etsi iterum evasuri videmur* (S. Augu.).

Maledicit Spiritus sanctus iis, qui ab accepta justitia facile declinant, et in priora peccata relabuntur: *Væ iis, qui perdididerunt sustentiam, et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas* (Eccli. 2, 16). Væ tibi, o avare, qui post peractam penitentiam perdidisti sustentiam, et in priores usuras lapsus es. Væ tibi, luxurioso, qui promissis Confessario datis non stetisti, et qui statim post confessionem totus in libidines effusus es. Væ tibi, ebriose, qui a penitentiae

Tribunali, mox ad cauponam te contulisti, ut vino te ingurgitares. Væ vobis omnibus qui perdidistis sustentiam, et qui post acceptam a Deo veniam in pristina peccata recidistis. Væ vobis, quia in mortalia recidere gravissimum et periculosissimum est.

Asserunt sancti Patres, parum, aut nihil prodesse penitentiam, si peccator in priora relabantur scelera. In cassum sumitur medicina, inquit sanctus Cyrillus, si post instauratam sanitatem, per vitæ inconscientiam, qui convaluit in pristinum incidat morbum. *Inanis est penitentia*, ait S. Augustinus, *quam sequens inquinat culpa: et nil prosunt lamenta, si iterentur peccata*. Similia multa leguntur in Ss. Patrum libris. Sed dicamus, hanc non solum non prodesse, verum et quodammodo obesse penitentiam, in quantum, scilicet in eadem peccata post peractam penitentiam recidere, gravissimum et periculosissimum est. Quare totis conatibus laborate, ut in mortalia post veniam non recidatis; et ut horrenda et periculosa recidivæ peccata destruat.

Iste omnis fructus: ut auferatur peccatum. Fructus quem hodie intendo, hic est, quod destruat recidivæ peccatum: ut pote quia commune, quia grave, quia periculosum. Illud ergo destruite, ac in accepta gratia constanter perseverate, et accipietis regnum æternum. Amen.

CONCIO QUARTA.

DE PECCATO MORTALI.

Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaïæ 27).

Virtus in arduo posita est, et non nisi magno labore comparatur: peccatum vero facillime perpetratur; nilque facilius,

quam peccatum in animam inferre. Sicut enim serpens antiquus, cum Heva ludens, nullo negotio peccatum in mundum intulit: ita et idem serpens, qui semper circuit quærens quem devoret, una occasione, vel unica suggestione non solum impios, sed et homines justos ad peccatum allicit: ac successu temporis illis peccatum ita suave efficit, ut illud bibant sicut aquam: *Abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem* (Job. 15, 16).

Quid facilius quam aquam potare? neque dentibus scinditur aut extenuatur, ut cibus; neque in ore, aut faucibus hæret: sed mira facilitate in stomachum prolabitur. Eadem autem facilitate improbus homo peccati venenum ebibit: et ex hac facilitate, simul cum quadam dulcedine quæ in peccato degustatur, totus fere mundus non solum ad levia, sed etiam ad mortalia et gravia allicitur scelera. Quorum destructioni hodie incumbere intendo, ut propositum in hoc Adventu fructum assequi valeam: *Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum.*

Peccata occulta, peccata ex consuetudine, et peccata recidivæ in præteritis concionibus destruere conati sumus: ut autem primæ Adventus hebdomadæ prædicationibus finem faciam, hodie de mortali peccato in genere disserrere statui; et ut ad illud in vobismetipsis destruendum inducam, hoc solum dicam, quod *mortale sit, seu, quod mortem inferat: Peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem. Ave.*

Vivit Christus, vivit anima rationalis, et vivunt bona ejusque opera. *Vivit Christus*, qui est vitæ Auctor et Dominus: *vivit anima rationalis*, quæ vitæ et omnium operationum vitalium principium est et origo: *vivunt bona opera* per gratiam, qua vivificantur, et æternæ vitæ meritoria fiunt.

Non solum vivunt Christus, anima rationalis, et bona opera: sed etiam ita vivunt, ut immortalitatis quemdam præferant characterem: Christus enim est immortalis jure acquisito; anima rationalis ex natura sua, et bona opera ratione meriti. *Christus* quidem immortalis est jure acquisito: quia morte sua jus ad immortalitatem sibi comparavit: *anima rationalis* est immortalis ex natura sua, quia spiritualis est et essentialiter

vivens: *bona opera* immortalia sunt ratione meriti, quia æterna et immortalia vitæ nos dignos efficiunt: *Hoc fac, et vi- ves* (Luc. 10, 28). O mirabilem Christi, animæ rationalis, et bonorum operum vitam! sed o infandam mortalis peccati immanitatem: quæ tanta est, ut mortem in ipsum immortalitatis sinum inferat. Ut enim jam videre est, peccatum mortale infert mortem Christo, animæ rationali, et bonis operibus: 1. *Christo* qui est vitæ auctor: 2. *animæ rationali*, quæ est vitæ principium: 3. *bonis operibus*, quæ sunt æternæ vitæ semina.

I PARS.

Peccatum mortale Christo mortem infert.

In ipso mundi primordio infestæ demonum legiones, ducente perduelli Lucifero, adversus Deum classica sonuerunt, et prælium adversus Omnipotentem inierunt: *factum est prælium magnum in celo* (Apoc. 12, 7). Aliud non multo post Conditori suo bellum indixit communis omnium parens Adamus: cum Deo primus ille homo in arenam descendit, et Creatori suo obtemperare renuens, fatale scecleris hastam in illum contorsit. Sicuti autem commilitones suos habuit Lucifer: ita et suos habet Adamus, cujus omnes posteri divini Numinis hostes nascuntur; ac eorum plurimi propriis criminibus adversus Deum Creatorem et factorem suum bella gerunt: *Qui cogitaverunt iniquitates, tota die constituebant prælia* (Psal. 139).

Pugnant adversus Deum gulosi, pugnant luxuriosi, pugnant quilibet peccatores: quia criminibus suis Deum offendunt, majestatem ejus exhonorant, illum creaturis, quas amant, postponunt, et ut loquitur Propheta, adversus illum enses suos stringunt: *Gladium ecoginaverunt peccatores* (Psal. 36, 14). Cum detractor virulenta detractionum et calumniæ verba profert; cum blasphemus in impietatis et blasphemie sermones prorumpit; cum libidinosus carnalibus deliciis incumbit; cum

se vino ingurgitat ebriosus; quotiescumque tandem homines in mortale aliquod scelus incidunt, toties adversus Deum gladios suos evaginant: *Putandi sunt adversus Deum evaginare gladium, dum iam impudenter, et absque ullo verecundiae velamento iniquitates suas perpetrant* (Origen. hom. 2 in Psalm. 36). Gladios quidem suos adversus Christum evaginant peccatores, et quantum in ipsis est, illi mortem inferunt, illumque cruci affigunt, quoties ad mortale aliquod scelus declinant. Et ideo Doctor mellifluus peccatores vocat novos Christi crucifixores, qui quantum in ipsis est, eum iam immortalitate præditum occidunt et crucifigunt: *Novi crucifixores, qui immortalitatem mortificant, et in crucifigibilem crucifigunt* (S. Bernard., ser. 2 Pas.). Hanc impiorum adversus Christum immanitatem exhorret D. Paulus, et peccatores, qui gravia perpetrunt scelera, novos vocat carnifices, qui Christum Salvatorem denuo crucifigunt: *Rursus crucifigentes sibi metipsis Filium Dei* (Heb. 6, 6). Christus qui semel in Calvariae monte a Judæis crucifixus est, a peccatoribus quotidie iterum crucifigitur, et morti traditur, non quod revera patiatur et moriatur, cum sit immortalis, impassibilis; sed a peccatoribus crucifigi et occidi dicitur, quia, ut præfata Pauli verba exponit Doctor angelicus, quotiescumque homo ad gravia peccata declinat, *Quantum in se est, dat occasionem ut Christus crucifigatur*. Vel, ut ejus verba explicant alii, peccator iterum crucifigit Christum, quia novo peccato novam dat causam crucis et mortis Christi. Rursum enim agit id propter quod Christus crucifixus est: quare si Christi mors ad omnia prorsus peccata non se extenderet, oporteret eum toties mori et crucifigi, quoties peccant homines, sicut Aaronica sacrificia et victimæ toties mactari et offerri debebant, quoties peccabant Judæi. O magnam impiorum in Christum crudelitatem! quam et ipse Christus variis manifestare voluit apparitionibus, quarum aliquas nota dignas hic referre non pigebit.

Et tempore, quo Albigenes hæretici omnia ferro flammisque vastabant, sanctæ Lutgardis apparuit Mater Domini Maria tristem præferens faciem non secus ac cum juxta Christi mo-

rientis crucem stabat. Cumque ab ea Lutgardis causam afflictionis petisset, respondit Virgo, ideo tristis et afflicta videor, quia sceleribus suis Albigenes, quantum in ipsis est, *Filium denuo crucifigunt* (Surius, 16 Jun.).

Cum die quadam sancta Coleta, Ordinis sanctæ Claræ alumna, Virginem Mariam enixe oraret, ut apud Filium pro peccatoribus intercederet, sese illi conspiciendam dedit Deipara filiolum Christum portans, non qui in sinu luderet, vel qui Coletæ subderet, sed vulneratum, membratim concisum et sanguinolentum; adjiciens, hanc esse hominum facinorosorum crudelitatem, qui, quantum in ipsis est, sceleribus suis, *Christum crudeliter quam Judæi vulnerant et eruant* (Surius, tom. 7).

Nobilitate sanguinis, et vitæ sanctitate illustris Brigitta illa ex Suecia oriunda, cum die quadam de passione Domini concionem audisset, nocte insequenti Jesum in cruce vidit recenti sanguine perfusus et toto corpore lacerum, qui illam sic compellavit: *Aspice vulnera mea, o filia*. Cui illa, ad tantum spectaculum attonita, dixit: *Heu mi Jesu! quis te tam crudeliter sauciavit? quis te cruci tam dire affixit?* Respondit Dominus: *Ad iis hoc factum est, qui me sceleribus suis lacessunt: hi iterum me cruci affigunt* (Surius, 23 jul.). *Rursus crucifigentes sibi metipsis Filium Dei*.

Audite hoc, o impii, qui blasphemias et impropria in Deum impudenter profertis; hoc audite, o libidinosi, qui ut foedæ propensioni indulgeatis, Deum toties offenditis; hoc audite, o gulosi et potatores, qui abdomini et ventri tanto affectu inservitis; audite, o Judices, o Causidici, qui auro corrupti, toties a justitia deflectitis; audite hoc omnes peccatores, ac firmiter credite, quod idem Christus, qui a Judæis crucifixus est, criminibus vestris iterum vulneretur et crucifigatur. Ut enim ipse per prophetam Zachariam loquitur: *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me*. Quomodo ibi plagatus Christus? non quidem clavis et ensibus; sed criminibus quæ ab hominibus perpetrantur.

Varias inter artes necromanticas unam refert Delrio, qua

Magi cereas quasdam conficiunt imagines, quas nomine Beelzebub baptizant, cumque alicui interitum machinantur, has imagines acubus, aut stylis ferreis configunt, et sic, inquit, certum iis, quos tales imagines designant, interitum adferunt. Anima nostra est Dei imago, ad ejus similitudinem facta; peccata vero quæ perpetravimus, sunt veluti styli ferrei, quibus illam configimus, et identidem Deum nostrum, quantum in nobis est, transigimus et occidimus: *Ipsum, quantum in ipsa est, Deum perimit voluntas propria* (S. Bern. Sermon. 3, *De Resur.*). Hoc jam capere non possunt peccatores: sed hoc capiunt in tremendo judicii die, cum eos, ut suæ mortis reos, Christus acriter arguet, sua illis ostendens vulnera, iisque, ut ait Augustinus, sic exprobrabit: *Ecce hominem quem crucifixistis: videte vulnera quæ infixistis.*

Credite ergo, peccatores, quod Christum, quantum in vobis est, criminibus vestris crucifigitis et occiditis. Imo asserit Augustinus, Christum diutius jam a peccatoribus, quam olim a Judæis crucifigi. Et ideo Christum peccatores in die judicii sic increpantem inducit: *Cur me graviore tuorum criminum cruce, quam illa in qua olim pependeram, affixisti? gravior apud me peccatorum tuorum crux, in qua invitus pendeo, quam illa in quam tui miseris ascendi.* Gravior quidem Christo ista crux: quia infinitas magis odio habet unum mortale peccatum, quam spinas, flagella, et omnia tormenta, quæ in passione perpessus est. Vide, o peccator, quanta tua sit impudentia, qualisve tua crudelitas. Non enim hominem vilem, non civem quendam, non terrenum regem, sed Regem regum, conditorem tuum, et Deum tuum crucifigis, et quantum in te est, occidis: o infandam immanitatem! Dic, o peccator, nonne aliquando irasceris in Judam, in Pilatum et in carnifices, qui Christum crucifixerunt? forte pluries tecum ipse dixisti: si Christi passioni adfuissem, omni nisu eum morti eripere conatus fuisset: nonnunquam forte zelo succensus, hæc aut similia protulisti verba, quæ olim Clodovæus Gallia Rex: qui audiens, et ægre ferens, Christum a Judæis fuisse crucifixum, dixit: *Si ego cum Francis meis istic adfuissem, ejus injuriam*

vindicassem. Attamen, o homo peccator, non est cur in Judæos exardescas: non est cur eorum barbariorum et rabiem insecteris; zelum tuum in teipsum accende; argue teipsum ut Christi crucifixorem et truncem: quia quotiescumque mortaliter peccas, toties id agis, quod mortis Christi causa fuit, esque mortis ejus causa et reus, ac si eum occidisses. O peccator ingrato, cur tantam Christo injuriam irrogas? Cur occidis eum, a quo esse et vitam habes? Tuam, quæso, recole ingratitudinem, tuam detestare immanitatem.

De matrona quadam ex Galliæ Regno oriunda fertur, quod cum unicum filium suum in Italia, ubi eum invitum ablegarat, mortuum esse didicisset, ita indoluit, ut mundi pompis valedicens, solo pane et aqua reliquo vitæ tempore victitarit, ac sæpe audita sit hæc verba ingeminans: *Ego te peremi, filii mi, quis mihi tribuat, ut moriar pro te?* (Saint Jure, *La vie des êlus*, ch. 7).

O homo peccator, Christum toties, quantum in te est, crucifixisti et occidisti, quoties mortaliter peccasti. Quare ingemisce, amaras funde lacrymas, ac dic, et intus dic: *Ego te peremi, Christe: manus tibi violentas ego intuli, hæc corde contrito verba profer et penitentiam age, ut ab eo veniam impetres, quem toties sceleribus tuis crucifixisti. At peccatum mortale, non solum Christo, verum et animæ nostræ mortem infert.*

II PARS.

Peccatum mortale animæ nostræ mortem infert.

Anima rationalis, quoad vitam naturalem ita immortalis est, ut nullo modo mori possit: sed quoad vitam supernaturalem, quam habet a gratia, mortalis est; tuncque spiritualiter moritur, cum privatur gratia sanctificante, quæ est quasi anima animæ, et quasi altera anima, per quam ipsa anima spiritua-

liter vivit. Sicut enim tunc moritur corpus, cum ab eo separatur anima per quam vivit: ita et spiritualiter moritur anima, cum privatur gratia sanctificante, per quam spiritualiter, seu supernaturaliter vivit.

Peccatum autem mortale est crudelis ille carnifex, qui animam occidit, quia eam gratia sanctificante privat: adveniente enim mortali peccato, ab anima recedit gratia, ejusque discessu anima mortua est. Et ideo dicit Spiritus sanctus, mortale peccatum esse quasi exitiosam matrem, quæ mortem generat, et quæ ipsi animæ immortalis spirituales mortem inferi: *Peccatum generat mortem* (Jac. 1, 15). Ideo etiam alibi dicit Spiritus sanctus, mortale peccatum esse veluti gladium ex utraque parte acutum, quo homo peccator, quasi phreneticus, suam interficit animam: *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas* (Eccli. 21, 4). Ideo tandem ait Spiritus Sanctus, peccatum mortale leoninos habere dentes, quibus roditur, discorpirur, et trucidatur peccatoris anima: *Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum* (Ibid.). O peccator, temporalia hæc quæ inique comparasti, hæc adulteria quæ perpetrasti, ebrietates, fornicationes, et omnia mortalia peccata in quæ lapsus es, sunt quasi gladii bis acuti, et sicut leonini dentes, a quibus sauciata, discorpta et interfecta est anima tua. Eo ipso enim quo mortaliter peccasti, anima tua spiritualiter mortua est: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur* (Ezech. 13, 4).

Videte, quid protoparenti nostro acciderit. Dixerat ei Deus, quod moreretur ipsa die, qua de fructu comederet: *In quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris* (Gen. 2, 17). De fructu autem vetito comedit Adamus; et eadem die, qua de illo manducavit, mortuus est, non quidem morte corporali, cum adhuc supra nongentos annos vixerit; sed morte spirituali. Quia enim mortali peccavit, violando Dei preceptum et comedendo de fructu vetito, peccatum illud mortale quod perpetravit, mortem animæ ejus intulit: *Nos primum hominem, qua die peccavit anima mortuum dicimus* (S. Greg. Ep. ad Eulog.). Ecce quod cullibet peccatori accidit; eodem

enim die, eodemque momento, quo quis mortaliter peccat, morte animæ moritur. O peccator, quacumque die virginem constuprasti, mortuus es: *te mortuum dicimus*. Quacumque die blasphemias in Deum, vel detractiones in proximum protulisti, *te mortuum dicimus*. Quacumque die moechatus es, furatus es, vel grave aliud crimen perpetrasti, *te mortuum dicimus*; quia mortale illud peccatum, in quod lapsus es, spirituales animæ tuæ mortem intulit.

Viduam, quæ in deliciis vivit, mortuam vocat D. Paulus: *quæ in deliciis est, vivens mortua est* (1. Tim. 5, 6). Si vivit, quomodo mortua? Si mortua, quomodo vivit? Vivit quidem, et simul mortua est. Vivit utique vita corporali et animali, cum comedat, bibat, ac illicitis voluptatibus indulgeat: sed vidua quæ sic vivit, mortua est spiritualiter, et quoad animam; quia peccata, quæ in illicitis deliciis perpetravit, animam ejus interfecerunt. Quod autem de hujusmodi viduis ait Divus Paulus, hoc et de omnibus peccatoribus asserit Propheta, cum eos mortuos vocat: *mortuos sæculi* (Ps. 140, 3). Hi quidem vivunt vita naturali et corporali, cum videant, audiant, loquantur, ratiocinentur, aliasque operationes vitales exerceant: potius tamen mortui, quam viventes dicendi sunt, quia quoad nobilissimam sui partem, quoad animam scilicet, mortui sunt. O rex, o judex, o mercator, o homo, qualiscumque sis, si mortale aliquid peccatum perpetrasti: *nomen habes, quod vivas, et mortuus es* (Ap. 3, 2). Loqueris, incedis, ratiocinaris, et sæcularia negotia peragis: mortuus tamen es morte terribili et horrenda; quia mortale peccatum tuam revera interfecit animam, quæ in corpore tuo, quasi in sepulchro, mortua habitat. Nam corpora peccatorum sunt sepulchra animarum per peccatum mortuorum: *Corpora peccatorum quid sunt, nisi sepulchra mortuorum?* (Amb. li. 6 in Luc.).

Nonnunquam visa sunt mortuorum corpora, quæ arte demonum movebantur, ambulabant, manibus palpabant, aliaque exterius vitæ munia obibant: et ideo, licet revera mortua essent, viventia tamen videbantur. Quid autem simile, inquit Augustinus, in homine peccatore videre est; *Quem quia pe-*

dibus ambulat, quia manibus contractat, quia oculis videt, et audit auribus; officiis cæteris membrorum satis utitur, viventem putant. Vivit, sed corpus ejus; mortua est autem anima ejus; mortuum est quod mortuus est ejus. Vivit habitaculum, mortuus est habitator.

O peccator, vivis simul et mortuus es; vivis in corpore, et mortuus es in corde; vivis in hominum opinione, et coram Deo mortuus es; vivis præclaris actionibus quas fecisti, et mortuus es peccatis, quæ perpetrasti; vivis quoad corpus, et mortuus es quoad animam; quæ mors præ morte corporis flenda et lugenda est: quia cum mortua sit anima, *mortuum est quod melius est.*

Tanta hodie multorum est insania, ut plus ob patris, uxoris, filii, vel amici, quam ob animæ suæ mortem plorent. Hoc quam indignum sit, dignissime exaggerat S. Cyprianus, dicens: *Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter et fletes: facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, cultu nubilo, ore dejecto indicia mæroris ostenderes: animam tuam perdidisti, et non acriter plangis, et non jugiter ingemiscis?* Plange, ingemisce, o peccator: quia tua mortua est anima, cujus jactura inenarrabilibus lacrymis ac perpetuis gemitibus dignissima est. Adverte, o peccator, quod criminibus tuis non alium occidisti quam teipsum, quam animam tuam: *Queris quem occidisti? non extraneum, non inimicum, sed teipsum. Quibus armis, quibus insidiis? erroris tui, offensæ Dei* (Tertul. *De Idol.*). Propterea tua detestare scelera, ingemisce, amaras funde lacrymas; et saltem tantum lugeas ob tuæ mortem animæ, quantum aliis ob florum, vel parentum mortem plorant: *Sic lugeamus animam extinctam, quomodo plangimus carnem mortuam* (S. Aug.).

Si Athei, Gentiles et Epicurei seipsos per peccatum mortuos non plangent, non est quod miremur: cum hi talem animæ suæ mortem ignorent. Sed stupendum, horrendum et intolerabile est, quod tu, o Christiane, qui nosti quam terribilis et formidanda sit animæ tuæ mors, de ejus morte parum cures, ejusque interitum non plores. Ideo te totum in fletum

converte, implacabilibus insiste lacrymis, ac teipsum per peccatum mortuum exhorresce. Tanta, ut refert S. Augustinus (Contra Petil. 5, 15), olim Hetruscorum prædonum fuit immanitas, ut ex viatoribus quos spoliabant, alios occiderent, et aliorum viva corpora mortuis corporibus colligerent, ita ut singula viventis corporis membra singulis cadaveris membris congruerent. O quam immane illud supplicium! O quam durum, quam horrendum tibi esset, si vivus corpori mortuo alligari, et illud inæquaque circumferre cogereris! Non solum tibi, verum et omnibus hoc horrendum esset spectantibus, qui omnes fugerent: *Si quis cadaver putridum circumferens per civitatem vagaretur, nonne omnes eum fugerent?* (Chrys. hom. 74 in Math.). Hoc sane horrendum esset, inquit S. Chrysostomus: sed adverte, quod tu vivo corpori mortuam animam pluribus mensibus et annis longe turpius alligatam circumferas. *Hoc de te cogita, qui animam peccatis obrutam, atque mortuam circumducis* (Ibid.). Hoc serio mente revolve, ac teipsum per peccata mortuum exhorresce. Ne in hoc statu diutius moreris: sed quantum fas erit, tua detestare scelera. Et si per peccatum mortuus sis, fac, ut per Dei gratiam a mortuis susciteris.

Per peccatum mortuus erat filius ille prodigus, qui luxuriose vivebat: sed qui per peccatum mortuus erat, per Dei gratiam a mortuis suscitatus est: *mortuus erat, et revixit* (Luc. 15, 32). O Christiane, quando in Deum blasphemias protulisti, *mortuus es*: quando virginem constuprasti, *mortuus es*: quando aliena vi vel fraude abstulisti, *mortuus es*: quotiescumque tandem in lethale quoddam peccatum incidisti, *mortuus es*. Quare si jam per peccatum mortuus sis, penitentiam age, ut a mortuis susciteris. Si patrem, fratrem, vel filium fato functum suscitare posses, haud dubie illum suscitares; quanto magis teipsum, per peccatum mortuum suscitare debes? Ne maneat ergo in morte, in quam per peccatum incurristi, a teipso tolle peccatum mortale, quod mortem infert Christo et animæ, ac etiam operibus nostris.

III PARS.

Peccatum mortale operibus nostris mortem infert.

Ab iis totaliter dissentio, qui omnia opera infidelium peccata esse dicunt. Si enim omnia et singula eorum opera peccata essent, peccarent cum orarent, cum Deum colerent, cum alicui ex ejus præceptis obtemperarent, et cum per bonum aliquod opus Deum placare, et ad conversionem se disponere conarentur; quod quam absurdum sit, nemo non videt.

Pravè etiam eorum sententiæ non adhereo qui docent, non necessarium esse, quod quis in statu gratiæ sit, ut opera viva, meritoria, et celo digna faciat. Opera enim viva et meritoria esse nequeunt, si a gratia, quæ est principium vitæ et meriti, non procedant.

Medium inter utramque sententiam, vel potius inter utrumque errorem teneo: ac dico, omnia opera hominum qui non sunt in statu gratiæ, seu qui sunt in statu peccati mortalis, esse mortua: quia peccatum mortale non solum animabus hominum, sed etiam operibus eorum mortem infert. Unde quamdiu aliquis homo in statu mortalis peccati remanet, similis est infelicibus illis matribus, quæ nonnisi mortuos filios pariunt: quia hic nonnisi opera mortua producit, quæ apud Deum non vivunt, nec vitæ æternæ digna sunt.

Tritum et apud Theologos commune est, quod tria sunt operum genera: quorum alia mortifera, alia mortificata, et alia mortua dicuntur. *Opera mortifera* sunt ipsa peccata mortalia, quæ animabus spiritualem, et sæpe æternam mortem inferunt. *Opera mortificata*, sunt opera meritoria quæ homo peccator fecerat, antequam in mortale peccatum caderet: quæ per adveniens mortale peccatum non quidem interempta sunt, sed solummodo mortificata: quia si peccator a morte peccati per pœnitentiam resurgat, hæc etiam opera tunc reviscent.

Opera tandem mortua sunt illa opera quæ ab homine per peccatum mortuo fiunt. Quamdiu enim quis est in statu peccati mortalis, si jejundet, oret, pauperibus facultates eroget, et alia hujusmodi bona opera faciat, hæc quidem non sunt opera mortifera, seu peccata; sed sunt opera mortua, quæ vitæ æternæ non sunt meritoria et digna. Quia, ut ait S. Bernardus, sicut suam a Sole claritatem Luna sumit: ita opera nostra a gratia, seu a charitate vitæ et meritum sumunt: *Sicut enim claritas Lunæ nonnisi a Sole est, sic absque charitate meritum nullum est.* Quare cum qui talia opera producit, non sit in statu gratiæ et charitatis, ejus opera non sunt viva sed mortua. Hos qui in statu mortalis peccati multa opera bona faciunt, nonnulli similes dicam venatoribus, qui, ut ait D. Augustinus, gravissimis se laboribus et periculis exponunt, et hoc, ut feram capiant. *Quos, inquit, æstus, quæ frigora, quæ pericula ab equis, a fossis, a præcipitiis, a fluminibus perforant venatores? Quem laborem esurientes et sitientes? quantas vilissimi et sordidissimi potus angustias, ut bestiam capiant?* Huiusmodi esse videntur labores hominum, qui in statu mortalis peccati bonis operibus vacant. Hi etenim non Paradisum, sed feram, et quasi nihil capiunt: quia opera eorum viva, et æternæ gloriæ meritoria non sunt. Quid capit prædicator post tot lucubrationes, post tot studia et tædia, post tot labores et sudores, post tot Adventus et Quadragesimas, quas coram illustri cœtu predicasse gloriatur? Quid capit homo religiosus, postquam toties jejunii et flagellis corpus suum cruciavit, postquam tot horas contemplationi vacavit, et postquam divinis laudibus diu nocturne concinendis operam dedit? Quid presbiter ille qui infirmos visitat, qui pauperes sublevat, consolatur mœstos, et omnibus benefacit? Quid hæc adolescentula, quæ viduarum, pupillarum, et pauperum domos singulis diebus lustrat, ut eorum necessitatibus subveniat? Certe, si hic concionator, hic religiosus, hic presbiter, et hæc adolescentula in statu lethalis peccati hæc faciant, non Paradisum, sed bestiam, seu quasi nihil capiunt, quia cum hi in statu charitatis et gratiæ non sint, eorum opera non viva et meritoria,

sed mortua sunt: *Absque charitate meritum nullum est.* Unde iis, et omnibus qui in statu mortalis peccati bona opera fecerunt, dici posset: *Seminastis multum, intulistis parum* (Aggei 1, 6). Hi quidem seminarunt et laborarunt multum, cum jejuniis, mortificationibus, eleemosynis, aliisque piis operibus vacarunt; sed intulerunt parum, quia eleemosyna, preces aliaque opera, quamvis ex natura sua bona sint; mortua, inania, et nullius apud Deum sunt meriti, si in statu mortalis peccati flant. Peccatum enim mortale est quasi malignum fermentum, quod totam bonorum operum massam corrumpit: est quasi fur, qui bonis operibus rationem meriti deprædat, et quasi crudelis carnifex, qui eis mortem infert.

Peccatum, inquit Doctor Seraphicus (in 2 sent. d. 25, a. 1), est *corruptio boni*: et ut ait Doctor Angelicus (1, 2, q. 27), peccatum est *corruptio actionis*. Peccatum mortale est vere corruptio boni, et actionis: quia est quasi vermis qui rodit, ignis qui devorat, putredo quæ corrumpit, et gladius qui omnes actiones ex se bonas interimit. Credis hunc juvenem esse piū, quia modestia ejus nota est omnibus hominibus, quia plures singulis diebus Missas audit, et quia multis piis operibus palam incumbit? Hanc adolescentulam sanctam esse putas, quia in ecclesiis, in nosocomiis, et ubique bonis operibus assidua videtur? Sed si hic, et illa in statu mortalis peccati vivant, mortui sunt coram Deo, mortuaque sunt eorum opera: quia peccatum mortale, quod in iis regnat, omnia bona eorum opera corrumpit et interimit. *Peccatum est corruptio boni, est corruptio actionis.*

Certissimum est, ut cum Aristotele docent omnes alii philosophi, quod *operari sequitur esse*; prius enim aliquid esse debet, quam operetur: nec quomodo cumque operari potest, antequam sit. An Sol, antequam creatus esset, terrarum orbem illustravit? Nequaquam. An ignis calefacit, antequam accendatur? Nequaquam. Estne aliquid aliud agens, quod antequam existat, suum producat effectum? Nequaquam; quia quodlibet prius esse debet, quam operetur; *operari sequitur esse*. Quicumque autem in statu mortalis peccati vivit, non est quoad

esse supernaturale, quia tale est a gratia, quam ille non habet, quare cum non sit quoad esse supernaturale, non potest opera supernaturalia, et vitæ æternæ meritoria producere; sed omnia opera, quæ in hoc statu faciunt, sunt opera mortua, et inania, quæ supernaturali gratiæ vita carent, quia mortale peccatum eis vitam aufert et mortem infert.

Quandiu peccator in hoc mundo vivit, est vere quoad esse naturale; sed quandiu in statu mortalis peccati moratur, est verum nihilum quoad esse supernaturale gratiæ; *tantum nihilum ante te*. Quare cum tunc peccator non sit quoad esse supernaturale quoad a gratia est, opera viva et meritoria, quæ non nisi a gratia manant, elicere non potest, sed omnia opera quæ in hoc statu producit, sunt opera mortua. Quod familiari similitudine docet nos Christus, dum se viti assimilat. *Sicut, inquit, palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit invite; sic nec vos nisi in me manseritis* (Jo. 15, 4). Christus est vitis quedam mystica; justi vero sunt quasi palmites, ei per gratiam uniti et colligati, et ideo cum illi sint uniti, ab eo vitam gratiæ percipiunt, ac opera viva et meritoria facere queunt. Sed peccatores, cum sint palmites per peccatum ab hac vite separati, nec per gratiam supernaturaliter vivunt, nec opera viva et vitæ æternæ meritoria facere possunt.

Scio opera illa bona, quæ quis in statu mortalis peccati facit, suo modo esse utilia; quia pravos destruunt habitus, quibus homo ad peccatum trahi solet; quia etiam, ut ait Doctor Angelicus, temporalem aliquam a Deo mercedem impetrant: ac tandem, quia licet ad gratiam obtinendam vere non disponant, Deus tamen videns peccatores bonis operibus incumbere, actuales ei multas et magnas impertit gratias, quarum auxilio a peccatis resurgunt, et convertuntur. Et ideo quilibet homo, quantumvis magnus sit peccator, orare, eleemosynas facere, jejunare, ac piis quibusque operibus sedulo incumbere debet. Sed semper advertat, et serio perpendat peccator, quod hæc omnia opera, licet aliunde utilia, non sint vitæ æternæ meritoria. Quia sicut corpus mortuum non audit, non loquitur,

nec aliquam operationem vitalem elicit: ita et anima per peccatum mortua, nullum opus vivum, seu aeternae vitae meritum producit.

O homo peccator, si in statu gratiae esses, singulis momentis apud Deum mereri, ac quolibet jejunio, qualibet eleemosyna, et quolibet vel minimo bono opere novos gloriae gradus comparare posses: sed quia per peccatum mortuus es, nullum ex tuis operibus vivum et meritum est. Quare exurge a mortuis, surge a peccato; et, ut ait sanctus Eucherius, da mortem peccato, quod Christo, animae tuae et bonis tuis operibus mortem infert. Da mortem peccato, illudque poenitentiae gladio interfice: *Veterem hominem cum actibus suis gladio poenitentiae enecamus.* Christi, animae et operum tuorum infensissimus hostis est mortale peccatum: quare esto et tu illius hostis, illi insidias para, et poenitentiae gladio illud interfice. Non imiteris eos, qui per poenitentiam peccata a se ipsis ad tempus solummodo expellunt; sed ea gladio poenitentiae ita occide, ut nunquam imposterum in te vivant. Non amplius in te vivat spiritus luxuriae, spiritus avaritiae, spiritus gulae, vel cujuslibet alterius peccati. Hoc si facias, aeternum in caelo cum Deo et Sanctis omnibus regnabis. *Amen.*

CONCIO V.

DE DEI BONITATE ERGA PECCATORES.

Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaiae 27, 9).

Misericordia Dei est faustum sidus, quod a summo caelo omnia sublunaria illuminat. Et sicut sol iste materialis aurata in haec inferiora jaculatur radios, quibus malos simul cum bonis irradiat: ita et Deus solem bonitatis et misericordiae suae oriri facit super bonos et malos, ac utrosque collustrat, et be-

nignis influxibus fovet. Imo et videtur, Deum apud quem non est acceptio personarum, et qui erga omnes bonum se et misericordem exhibet, majora reprobis quam probis, malis quam bonis, et peccatoribus quam justis bonitatis suae dare testimonia: *Bonus ad omnes Deus, in peccatores praecipue suam ostendit longanimitatem* (Chris. hom. 7, *De poenit.*).

Non meae nunc mentis est inquirere quae et quanta Deus pro nobis et electis fecerit: sed ut peccatores ad destruenda in se peccata allicere valeam, magnam Dei erga illos bonitatem et misericordiam proponam. Adverto, quod cum prodigius ille filius, qui totam suam substantiam dissipavit, recordabatur se peccasse in patrem, a quo et esse et alia multa bona perceperat, ad illum adendum intus excitabatur, ac dicebat: *Ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccavi in caelum et coram te* (Luc. 25, 13). Quare ut peccatores ad destruenda peccata, et ad properandum versus Deum adducam, magnam ejus in illos bonitatem et misericordiam explanabo. Hoc est primum motivum, quo peccatores ad destruenda in se peccata allicere conabor. *Ave.*

Cum Pastor ovem, quam diligebat, perdidit, expectat ut veniat: si venire tardet, eam sollicito querit: si veniat, illam benigne recipit. Peccatores autem sunt oves stolidae, quae a Deo aberrant: et Deus erga peccatores miseros et indignos Pastoris boni fungitur munere: *Ego sum Pastor bonus* (Jo. 10, 1).

Deus quidem est Pastor bonus, qui peccatorem expectat, querit, et recipit; cum enim peccator criminibus suis ab eo discessit, expectat Deus, ut per poenitentiam ad ipsum veniat: si venire renuat, tum Deus mediantibus gratiae suae auxiliis sollicito querit: si vocatus et quaesitus revertatur, cum Deus magno cum affectu recipit. Quare ut immensam Dei in peccatores bonitatem et misericordiam delinexam, dicam solummodo, quod Deus illos expectet, quaerat et recipiat. Peccatores Deus: 1. Expectat magna cum patientia: 2. Querit ingenti cum sollicitudine: 3. Recipit summo cum affectu. *Patientia Dei* peccatores expectantis: *Sollicitudo Dei* peccatores quaerentis: *Affectus Dei* peccatores recipientis; en tres hujus concionis partes.